

1280, octubre, 21

L'abadessa Berenguera de Sant Daniel estableix a Guillem Resclosa un clos i un camp situats a Púbol, que havia tingut Pere Pellicer, a fi que hi construeixi un mas.

ASD núm. 249, perg. orig., 455 x 230 mm, carta partida.

Sit omnibus notum quod nos Berengaria, Dei gratia abbatissa Sancti Danielis Gerunde, uisa et inspecta utilitate nostri monasterii, consensu et uoluntate sororum nostrarum subscriptarum, damus, stabilimus et concedimus tibi Guilielmo Resclause, raditori de Pubel presenti et Berengarie uxori tue absentis et uestris in perpetuum, totum illum clausum qui condam fuit mansi Adaladis Poncie et illum campum de Monte Cozcoyer qui fuit de tenedonibus eiusdem mansi, quem clausum et campum nobis diffiniuit Petrus Pelliparii de Piru, qui illos per nostrum monasterium tenebat apud Pubel in parochia Sancti Isidori de Piru. Et affrontat dictus clausus ab oriente et meridie in uia publica, ab accidente in alia uia, et a circio in torrente. Et dictus campus est in capite podii de Monte Cozcoyer, inter honorem Raimundí de Bageto et Berengarium Mul de Pedriniano. Quos dictos clausum et campum, sicut sunt in longum et in latum et infra suas affrontaciones includuntur, cum intratibus et exitibus et oliuariis et allis arboribus generum diuersorum ac pertinenciis suis, et cum omnibus melioramentis et augmentis factis et faciendis, sicut melius ea tenuit et habuit dictus Petrus Pelliparii, uobis et uestris damus et stabilimus perpetuo, sub tali condicione et pacto quod hinc usque ad duos annos completos feceritis domos in dicto clauso et aream iuxta eas et etiam si uolueritis ortum, in loco scilicet ubi non accipimus agraria, et quod feceritis hinc usque ad decem annos completos eueniri unam personam nostram scilicet unum ex infantibus uestris uel aliam personam pro predictis, cui predicta donetis et ipsa persona et sui semper predicta omnia habeant et teneant et in dictis domibus inhabitent et residenciam fadant atque focum, de qua dicta persona cum alia fiat matrimonium, sic quod personas in perpetuo habeamus et quod ipsa persona et sui deinde semper et uos interim prestetis nobis et successoribus nostris et monasterio nostra fideliter quartum et braciaticum panis et uini de dicto clauso preter quandam partem uersus meridiem sicut terminatur et consignatur, de qua parte non prestetis agraria, et quod detis nobis de dicto campo tascham et braciaticum panis et uini. Item pro predictis annuatim pro censu quinque solidos et medium barchinonenses de temo in festa Natalis Domini, et quod etiam prestetis et leuetis et nostra monasterio et nobis tradatis sicut habere poteritis census qui dantur pro tumis siue in auxilium census mansi Poncii ab illis qui tenent uel habent terras de tenedonibus eiusdem mansi et etiam agraria eorundem terrarum, que agraria nobis donetis retenta uobis retrodecima ipsorum agrariorum. Et constituimus nos predicta uestro nomine possidere uel quasi, donec corporalem et uacuum eorum possessionem acceperitis, quam liceat uobis et uestris perpetuo uestra auctoritate quandocumque uolueritis accipere et deinde perpetuo retinere ad omnes uestras uoluntates et uestrorum faciendas in modum in presenti instrumento contentum. Et pro hac donacione accipimus a uobis pro accapte centum solidos barchinonenses de temo ad utilitatem nostri monasterii, de quibus a uobis fatemur nos esse bene paccatam, Tenunciando excepcioni non numerate peccunie; et si forte amplius

deberemus inde habere, totum uobis damus donacione irreuocabili inter uiuos, renunciando scienter illi legi qua deceptis subuenitur et excepcioni doli et metus et accioni in factum et restitutioni in integrum et omni alii iuri nobis competenti. Uerumtamen sit certum quod si infra dictos .n. annos nondum feceritis dictas domàs et aream iuxta eas, et infra dictos .x. annos non feceritis inde eueniri dictam personam nostram propriam qui predicta habeat et ibi residenciam faciat ut est dictum, deinde liceat nobis et successoribus nostris nostra propria auctoritate non obstante dicto stabilimento, emparare et accipere supradicta et ea omnia alii stabilire sine uestro et uestrorum retentu et contradimento, promitentes uobis et uestris per nos et succedentes nostras uobis et uestris in modum predictum facere semper habere et tenere predicta contra cunctas personas et esse inde uobis de omni homine deffendentes, et pro hiis uobis complendis et de euiccionem et omni interesse obligamus uobis et uestris nos et nostras succedentes et omnia bona monasterii nostri supradicti. Et ego Guilielmus Resclause predictus per me et meos ex certa sciencia firmans et concedens supradicta promito uobis dicte domine abbatisse et succedentibus uestris quod infra dictos .n. annos construxerimus seu fecerimus in dicto clauso dictas domos et aream et infra .x. annos fecerim eueniri unam personam uestram que predicta habeat et ibi residenciam fadat, ut superius continetur, quod nisi fecero, deinde per me et dictam uxorem meam ex nunc ut ex tunc renuncio scienter dicte donacioni et stabilimento nobis facto de predictis, et quod deinde possitis illam terram alii cui uolueritis stabilire sine contradimento meo et meorum.

Actum est hoc .xn. kalendas nouembris anno Domini .Mec. octuagesimo.

Sig+num Berengarie, Dei gratia abbatisse predicte, sig+num Guilielmi Resclause predicti, qui hoc firmamus et laudamus. Sig+num Bernardi de Duobusqueriis baiuli, qui hoc laudo. Sig+num Beatricis de Paleria, sacristane, sig+num Cecilie de Fuxano, priorisse, sig+num Agnetis de Solerio, cabiscole, sig+num Guilielme de Serriano, camerarie, que predicta concedimus et firmamus. Testes sunt Petrus Pelliparii de Piru, Bartolomeus de Ulmo et Guilielmus Plomerii, ambo de Sancto Daniele.

Eg(s. man. )o Bisullunus Burgesii, terrens locum Raimundí de Toyloano, publici Gerunde notarium, qui hoc scripsi et clausi, cum suprascripto in .xvii. linea, ubi dicitur " et medium".

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 512-514